

576

111  
164

955.

576

Pragmatica Testimonia Lib.

sub. 111. 164

Josephi Kowalski

Dissertatio

inauguralis

d e

METASTASI sic dicta LACTEA


1817.

164



Povid. Przydrozy  
poprzeczn. (bruki  
ciasto) V<sub>15302</sub>  
Rozprawy w stopniu  
dr. med. - Kratka  
6170

**DISSERTATIO**  
inauguralis Medica  
*(de)*  
**METASTASI sic dicta LACTEA)**  
*quam adjectis*  
**HISTORIA MANIAE LACTEAE**  
*ac*  
**THESIBUS**  
annuente Inclita Facultate  
Medica  
*in*  
Antiquissima ac Celeberrima  
Universitate Cracoviensi  
*pro*  
adquirenda Doctoratus  
**Medicinæ ac Chirurgiæ laurea**  
JOSEPHUS KOWALSKI  
**Medicinæ Chirurgiæ superioris**  
atque Pharmaciæ Magister  
Publicæ disquisitioni submittit  
Anno 1817.  
Cracovia





5341

WU 19.01.1988

V I R O  
ILLUSTRISSIMO ET INTEGERRIMO  
ADALBERTO GEORGIO  
BODUSZYŃSKI.

M E D I C I N A E D O C T O R I  
PATHOLOGIAE, THERAPIAE SPECIALIS,  
ET CLINICES,  
P R O F E S S O R I P. C.  
PLURIM SOCİETATUM LITERARLARUM  
S O D A L I E  
NOSOCOMII ad Sun LAZZARUM  
P H Y S I C O.  
R E I P U B L I C A E C R A C O V I E N S I S  
S E N A T O R I  
E T  
P R O T O M E D I C O  
D E B O N O P U B L I C O M E R I T I S S I M O  
HONORIS OBSERVANTIE  
VENERATIONIS ET GRATITUDINIS  
E R G O

*Levidenses hasce Pagellas*

*D. D. D.*

*Auctor.*

  
Si in parte aliqua organismi corporis aut in integro systemate organisationis morbus magna ex parte imminuat aut penitus sileat, et in alia parte organi- smi vel in toto systemate eiusdem simi- le malum ita subsequatur, ut inter u- trumque morbum nexus causalis assum- mi posset, tunc veteres Medici Morbum translocatum esse, Phœnomenon vero ta- le *Metastasin* morbi dixerunt.

Subsequentibus vero seculis causam omnis morbosaæ efficaciae organismi in materia certa consistere communis fere medicorum erat opinio; quam quidem materiem sensibus obicere omnino conabantur, hinc saepe, effectum pro causa morbi summebant. Ubi autem morbose secretum somitem conspicere haud poterant, præconceptae semel opinioni firmiter innixi, subtilissimam materiem o-

nnem sensuum aciem fugientem sibi fin-  
gebant; sic itaque *Pathologia* et doctri-  
na de *Metastasibus* novam penitus faciem  
sortita est: Definitio metastaseos non  
amplius translocationem morbi ex uno in  
aliud organon compræhendebat, sed  
transmutationem talem morbi esse, in  
quo viribus naturae crisi perficere co-  
nantibus materies morbifica in alium lo-  
cum deponatur proferebat. Vigente hac  
hypothesi vias medici hujus materiei ex  
uno in alium locum migrantis sollicite  
quaesiverunt, dubia opponebantur conti-  
nua et hypotheses hypothesibus super-  
struebantur, quibus phœnomenorum ob-  
servatio continuo majoribus cingebatur  
tenebris; et eo minus his phœnomenis  
explicandis idoneæ adparebant, quo ma-  
gis *Cullenii*, *Hunteri*, *Schäfferi*, *Reili*  
et aliorum summorum in arte virorum  
conatibus leges efficaciae organismi vivi  
dilucidarentur ac inclarescerent.

Quum autem doctrina de *Metasta-*  
*sibus* vastissima sit, ut vel cancellis dis-

ser-

sertationis meae comprehendi, vel etiam viribus exiguis meis adaptatae enodari possit; ideo de sola *Metastasi lactea*, seu *vicaria secretione lactis*; ab imminuta magna ex parte, aut penitus suppressa secretione primitiva ejusdem laticis, in alia parte non propria organismi obveniente, disserere proposui.

Diffrerit ergo ab omnibus aliis hoc nomine insignitis critice vel alio modo factis depositionibus, hic solummodo suppressa naturali secretione lactis, consequens in locum prioris anomala, comprehenditur.

Gravissimum attentioneque dignissimum phœnomenon est ex alia in aliam partem, humores secretos migrationem simulare, oriri quoque in aliqua parte secretionem peregrinam fere aut alienam ab ejus structura ac efficacia. Ita non raro ubi lactis secretio impedita erat, lactis simillimus latex in utero aut cruribus aut aliis partibus in conspectum prodit.

Hoc p̄f̄omenon olim et similia ad  
veram humorum secretorum migrationem  
relata ita exponebantur, ut per vasa aut  
telam etiam cellularē ab altera parte  
ad alteram vehi humores ac transferri  
crederentur: unde sanquinis massam con-  
tinuo permeare eosdem necessarium vi-  
debatur. At concedi ea migratio haud  
quaquam potest. — Repugnat enim pri-  
mum immunitas sanguinis ab omnibus  
vitiis, quae peregrina et semel excreta  
possent generare, a natura enim stabili-  
tum est et caustum, ne sanguis, vitalis  
summopere humor aliqua labe inquinetur.  
Absorbi enim quandoque ichores  
quo minus in massam sanquinis recipian-  
tur, cavit natura fabrica glandularum, u-  
bique vasa absorbentia intercipientium:  
unde non nisi pessumdata plane vitae  
efficacia sanguis poterit corrumphi; quapro-  
pter et lac absorbtum per vasa lymphati-  
ca in glandulas avehitur ibideinque trans-  
formetur necesse est. Cui accedit quod  
tempus brevissimum haud sufficeret, quo

evane-

evanescere altero, prodire altero loco secretiones videmus, ut per longam eam viam quam glandulæ aperiunt migrationem statuamus. Neque tela cellularis, quae utique propellit peregrina, phœnomena haec exponere potest, cum tardiores sint progressus ii, quam quae ea phœnomena, de quibus hic loquimur dilucidare possent. Denique nî præcesserint vehementes virium incitationes nervorumque turbæ propagatio haec vicaria nequaquam contingit. Unde intelligitur mutationes has *metastaticas*, dynamics potius esse et nec physico modo nec mechanico exponendas. — Videamus obiectiones contra hanc sententiam, quas ventilare liceat, priusquam ipsam explicemus et uberius illustremus. Ccl: Bichat secretos tum etiam peregrinos humores in telam cellularem et venas iniciens, diversa inde et contraria etiam phœnomena produci observavit. Urina in jugularem venam injecta enecavit canem, bilis vero eodem modo injecta diversis malis

malis quidem canes afflixit, quos tamen superarunt: injecta etiam salivam et mucum sine notabili sanitatis læsione. In cellularem injecta urina, bilis aut alii humores neutiquam universales sed locales solummodo morbos excitarunt,

Experimenta haec haud magni momenti esse arbitror, si quidem haud consentiunt imo differentes effectus produxerant: urina enim injecta modo ægritudines modo mortem attulit. Longe aliena deinceps esse hæc experimenta ab iis quæ in *metastasibus* contingunt. Quippe humorum secretorum in yeras injectio, haud est absorbtio per vasa lymphatica, transitus per glandulas et avection in ductum thoracicum, e quo tandem confluer dicuntur in sanguinis massam. Denique experimenta in animalibus instituta sunt nimis fallacia ut cum iis mutationibus quæ in corpore humano contin-  
gunt comparari possint.—Quodsi itaque *metastasis* sit morbi formalis transitus ab alia ad aliam partem, manifestum est

ean.

eandem abnormitatem actionis, eandem morbosam reactionem propagari, cum morbi natura versetur in efficacie quodam abnormi modo: cuius cum effectus sint secretiones, palam est, secretos humores vere non migrare, sed dynamice communicari eas abnormes efficacias.

Requiritur vero adficiundi organi quædam dispositio, cur potius huc quam aliorum propagetur vicaria illa affectio. Affinitatem hanc vel fabricæ partium, vel nervorum communionem, vel denique functionum antithesim aut associationem intelligimus, his omnibus enim adinoniculis eget propagatio. Opinionem autem *Cel. Bichat* experientia confirmatae lubenter accedimus, membranas nempe eadem fabrica et organa eodem textu gaudentia longe facilius ac mutuo morbos amplecti, quam organa textu differentia. Idem tenendum est de nervorum consensu de antithesi et adsociatione quae dispositionum momenta si præpollent, nullius opus est

ferre

8

fere causæ occasionalis aut stimuli ad repentinam et subito subsequentem vicariam propagationem. Producens vero *metastases* occasionalis causa vel stimulus adscribenda est, vel ii, quod actionem energicam in primitus affecto organo vehementer supprimere valet. Incitatio per novum stimulum aucta, in partem transit vel fabricae similitudine ac functionis, vel antithesi vel consensu conspicuam: Efficaciae autem suppressio in aliqua parte organismi, provocat in aliis organis in antithesi versantibus vel consentientibus et associatis vicariam efficaciam. En ergo summam legem cui adstrictae sunt *metastases*, quamque e doctrina de dynamico organorum nexu egregie explicaveris.

Inquirendum nunc est in similitudinem secretionum viciarium cum iis quæ naturali loco perficiuntur. Lactis secretione praepedita idem neutiquam lac in alijs organis secerni sed similem solummodo colore laticem qui nec easdem omnes

omnes habeat particulas sed longe diversas. Aliter enim irritam esse fabricam organorum tantopere mirabilem atque variis naturae conatus in construendis iis organis dixerimus, si humores omnes per omnia organa secerni posse contendemus. Sed adscendendum est ad remotiores particulas ac ad ipsa elementa, quibus cum sanguis ubicumque scatent, possunt etiam quodammodo confluere ut similes humorum qualitates nascentur, nunquam vero humor idem in parte sibi non propria producatur.—Apud foeminam juvenem primiparam spatio septem dierum a partu tumor in dextro inguine a vicaria secretione lactis ingens, exurgebat, consilio Celoberri- morum Medicorum apertus tres fere libras materiaei albicantis lacti simillimae continebat; decem unciae mihi tunc temporis Adjuncto Chemiae ad instituendum examen *chemicum* tradebantur. *Materies* haec coloris erat albicantis subflavi, *acidum spirans*, gr. sp. 1<sup>1</sup>., *consistentiae* *syrupi*

syrupi, Tincturae *de tournesol* colore in rubrum mutavit, cum aqua mixta emulsioni similis erat; huic solutioni alcohol vini instillatum partes caseo similes magna in quantitate separabat; alcali vegetabile colore in sub rubrum mutavit, consistentiam fluidi quoque augendo; per triduum materies haec immutata mansit, quarta die separabantur partes serosae ad superficiem fluidi, cui cuticula sat crassa quasi olei unguinosi innatabat, in medio fluidi conspiciebatur materies caseo maxime analoga, quae in ammonia pura solvebatur, ad fundum vero materia mucco simillima semitransparens deposita cernebatur: serum hoc cui calx recens usta admiscebatur ammonia spiravit, in mense Majo per spatium tredecem dierum aeri exposita immutata mansit, nullumque nauseosum odorem spargens, tandem in fermentationem putridam abivit; igni forti exposita materies odorem cornu cervi sparsit, carbonem spongiosum derelinquens, cha-

racte-

racteres omnes carbonis animalis possidentem. — E resultatis indaginis hujus materiem à *vicaria secretione lactis* provenientem nequaquam lac esse, sed aliquas solummodo qualitates lactis possidere abunde patet.

Communissimum Organon ubi səpissime *vicaria secretio lactis* occurrit est tela cellularis mammarum, quae glandulas lactiferas in mammis circumdat. Refrigerium corpore sudante admissum ingens terror, moeror, ac alia gravia animi pathemata facile cutis spasmum procurant, atque transpirationem puerperarum supprimendo hanc vicariam secretionem in tela cellulari provocant, unde specifica quaedam materies seu humor similis lacti secernitur, quae, revocata priuaria cutanea efficacia, à vasis lymphaticis pendentim resorbetur, parte coagulata quasi caseosa sub nomine nodi lactei intacta relicta. — Persistente vero diutius hac morbosā secretionē telae cellularis mammarum ea in abundantia, ut à vasis lymphati-

phaticis major ejus portio absorberi nequaquam possit, vel etiam producto successu temporis nodo lacteo qui suo stimulo adjacentem telam cellularem irritando inflammationem ibidem excitaret, tunc abscessus in mammis non purum et coctum pus, sed materiem similem aliquomodo puri et lacti continens, exurget.

Quod vero hæc materia lacti analogia non in glandulis lactiferis mammarum sed in tela cellulari has circumdante colligatur sequentibus facilis negotio convincimur:

1. Morbi sub initio nempe ex glandulis lactiferis mammarum sine ullo incommodo lac sanum continuo et eosque profluit, donec ab aucto tumore, cellularis adiacentis vasa excretoria glandularum penitus non comprimantur.
2. Detumente tela cellulari glandulas circumdante et abscessu formato, profluit etiam è glandulis lactiferis,

lac

lac sanum hand interrupte. Sæpius videre mihi contigit lactantes, præbuisse cum fructu ubera pusioni, licet in eadem mamma pluribus in locis abscessu rupto materia lacti multum analoga copiose promanaret.

5. Exoriente in mammis malo facillime in conspectum venit non glandulam sed telam cellularem huic adiacentem primo affici. Terrore aut refrigerio praegresso subito sæpe intumescit mamma, et eodem momento maculae rubrae flammulas referentes ad superficiem mammae propullulant, quæ ad levissimum tactum exquisite dolet, sequentibus vero diebus ex æquabili mammae tumore hinc inde exoriuntur majores minoresque nodi sub ipsa cute sepulti. Signa praegressæ in cellulari secretionis morbosae indubitata. Si enim glandula infarcta inflammatæ aut aegritudine affecta primo esset, tunc statim nodus, et successu temporis tumor mammae appareret, rubor et

dolor

dolor non ad superficiem mammae;  
sed in ipsa glandula prodiret, quod  
facile videre est in aliis inflammatis  
ac in suppurationem tendentibus glan-  
dulis.

4. Si in glandulis lactiferis infarctus a  
lacte pro causa morbi poneretur,  
tunc in subsequente exulceratione  
glandula ipsa vel ductus glandulares  
in suppurationem quoque abire de-  
berent vel saltim fistula lactea diffi-  
cillimae curationis inde exoriretur, quod  
utrumque in simplici *metastasi lactea*  
mammarum nequaquam obtinet.
5. Evanescente morbo mammarum, reli-  
cti nodi lactei sub ipsa superficie  
mammæ delitescunt, qualitates indu-  
ratae glandulae haud praeserentes  
etiam nunquam in suppurationem ma-  
li moris, vel cancroram exulceratio-  
nem abeunt. Jam vero
6. Affectio haec mammarum similitudi-  
nem summam cum depositionibus sic  
dictis lacteis aliarum partium organi-

smi

smi fovere videtur; nodi vero lactei  
mammarum analogiam maximam ge-  
runt cum indurationibus in cellulari  
post metastasis in lacteum exortis, quam  
aliquoties sub musculis abdominali-  
bus emergere atque dein similiter  
ut in mammis pedetentim absorberi  
vidi.

Quum praesentibus hisee nodis lacteis  
mammarum secretio tam lactis quam etiam  
lochiorum in interrupte procedat, ideo  
eosdem nodos probabiliter ae s̄epissime  
a tertia specifica secretionē vicariae ef-  
ficaciae puerarum nempe transpiratio-  
ne his sub circumstantiis copiosissima  
serum lactis redolente suppressa provenire,  
nullus dubito. Attamen possunt etiam ex  
suppressa secretionē lactis facilime pro-  
pullulare, quoisque enim secretio lac-  
tis viget, eousque hæc vicaria efficacia  
in cellulari mammarum contingere potest.

*Richterus* vicariam lactis secretionem  
etiam post ablactationem contingere pos-  
se contendit, quod et mihi videre con-  
tingit.

tigit. Sæpissime vero lactantes huic malo praecipue durante adhuc transpiratione copiosa primis quatuor aut sex a partu absoluto septimanis, maxime sunt obnoxiae.

Enin vero in remotissimis quoque partibus cellularis organismi *metastases lacteae* haud raro observari possunt, si primitiva secretio lactis in mammis ac vicariae lochiorum et transpirationis sufflaminentur subito. Communiora quippe loca ubi *metastases lacteae* continentur sunt: Tela cellularis inter cutem ac musculos abdominales, inter hos ac peritoneum; tela cellularis ligamentorum latorum uteri, femorum, aut tela cellularis pulmonum. Quodlibet etiam aliud organon secernens huic vicariae efficaciam idoneum est. *Lacteas Diarrhoeas* quilibet fere Medicorum vidit, ego ipse talem duodecima die puerperii a refrigerio suscepto apud juvenem fœminam et per octo dies durantem exortam conspexi, quam redeunte in mammis lacteis

ete cessare absque incommodo vidi, descripserunt tales *Diarrhoeas* multi, *saliuationem lacteam* observavit *Dolæus*; per *urinas*, *nasum*, et alias organismi partes similem laticem excretum fuisse scriptores multi memoriae tradiderunt. —

Unde colligere est malum non solummodo in morbosa secretione materiei lacti simillimae, verum etiam in organismi totius dispositione peculiari ad copiosissimas repentinæ ac specificas secretiones, nulla fere praegressa inflammatione consistere. Praeter has *Metastases lacteas* haud dari aliud malum, in quo natura cum tanta profusione ageret: quare concludendum est, secretiones illas lacticis lacti simillimi in cellulari ac aliis secerentibus organis, necessitate naturae peculiari perfici signumque characteristicum morbi constituere. Singulare quoque esse, cessante nempe ulteriore hac in *Metastasi* reliquum penitus absorberi, quod nequaquam in accessu purulento tantæ magnitudinis suc-

B cedere.

cedere posset. Vidi similem casum quem fere impossibilem esse credidi ut haec ingens quantitas materiei heterogeneae vasorum absorbentium efficacia debellari posset: In juvēne fœmina tumor telac cellularis muscularum abdominalium inveteratus, capitis humani magnitudinem referens, duritiae saxeae, tactu paulisper dolens, a vicaria secretione morbosa lactis exortus, fomentationibus ex sale ammoniaco cum aceto communi applicitis interne vero muriate hydrargiri miti cum sulphure aurato antimonii spatio decem hebdomadarum perfecte nullo alio subsequente incommodo dissipabatur. Aliquando in ipsa Metastasi magna ex parte materies durissima tangitur, quae reque ac nodi lactei in mammis successu temporis, aut plures post menses penitus resorbetur: denique secretiones hae lactis vicariae essentialiter ab abscessibus purulentis quo ad laticem contentum, ac decursum quoque differunt. Quam longo tempore opus est ut abscessus

puris forinetur maturescat, latex vero  
 emissus aequabile pus contineat ac blan-  
 dum. Quod longe aliter in abscessibus  
 sic dictis lacteis contigit, nulla quippe  
 praegressa inflammatione repente insur-  
 gunt moxque aperti humorem corruptum  
 fundunt, cui frusta magna caseosa com-  
 pacta, odorem casae putrefacti spargen-  
 tia innatant. Tumor quoque lacteus ex-  
 tremitatum inferiorum in peurperis ab  
 eo, qui ante partum aliquando conti-  
 git, differt: prior enim a femoribus inci-  
 pit et ad inferiora descendit; præmenti  
 digito magis resistit, nec cessante pres-  
 sione; illæ conspiciuntur lovae; poste-  
 rior vero ab inferioribus incipit, lente  
 ascendit, mollior est et præmentibus di-  
 gitis facile cedit, est enim verum oedema  
 a venarum lymphaticarum per u-  
 erum gravidum praessione natum. Jam  
 quanta mala a *Metastasi sic dicta lactea*  
 obveniant, prout nempe has illasve partes  
 occupaverit facile patet. Si organa ma-  
 gis ad vitam necessaria malo affician-

tur majora quoque pericula exinde pul-  
lulare consueverunt; vel dum loca illa  
organismi obsidentur morbo, e quibus cum  
difficultate excuti malum poterit; sic dum  
ad crura et femora decumbit morbus,  
spes magna est, sic disponi posse *Meta-*  
*stasin*, ut denuo secretionē primitiva  
lactis Mammarum revocata, atque efficac-  
ia cutanea, alvina, viarumque urinaria-  
rum restituta penitus haecce evanescat.  
Difficilius ac tardius conatus artis fausto  
gaudent effectū, dum *cerebrum* ac *menin-*  
*ges* malo hoc tentantur. Si secretio mor-  
bosa lactea in tunica cellulosa per quam  
peritoneum pelvi nectitur vel inter mu-  
sculum *Psoam* et *Iliacum* circa *ligamen-*  
*ta lata* et quandoque in pluribus locis  
simul in conspectum venerit; tunc obtusus dolor, vel ingrata sensatio circa  
inguina, pondus in pelvi et debilitas ac  
torpor femorum percipiuntur; si decumbat  
in dorso aegra femoribus extensis, plus  
molestiae habet, quam si eadem flexa  
fuerint. Rarius in utroque latere haec  
sym-

symptomata apparent, sed dum in uno latere tentatur dissipatio in altero latere similia sequuntur symptomata. Postea ad femor *metastasis sic dicta lactea* pergit, et tunieam cellulosa distendit, tandem eadem in crure et pede observatur, sicque omnia tument, et minuuntur do-lores qui antea circa pelvem fuerant. Ubi dissipari incipit hic tumor, femora primo detumescunt, dein crura et pedes. Simili modo uti in oedemate extremitatum contingit. Tumores tales puerperii tempore a digitis præmentibus nullas suscipiunt impræssiones sed magis resistunt aut et *fomentis resolventibus cum sapone* feliciter solenit dissipari, præcipue si urinae crassae, copiosae prodierint, priuno turbidae, dein reliquis diebus multum sedimenti deponentes. Sudoribus etiam vaporosis ad integrum superficiem serum lactis redolentibus extensis. Sed talis depositio *Metastatica laticis* similis quandoque in aliis corporis locis colligitur non dissipanda amplius. Sic egre-

gius

gius *Chomel* in sc̄mina primipara ita pri-  
mis puerperii diebus intumuisse ventrem  
observavit ut aequa turgeret ac ultimo  
graviditatis tempore. Rupto sponte  
umbillico exivit ingens copia liquidi sero-  
so lactei sed pessimi odoris: bimestrī  
spatio post ruptum umbillicum prudenti  
cura evasit integre sanata. Credidit Ce-  
lebris hic *Vir* intra duplicaturam perito-  
nei illam secretionem lactis viçariam  
factam fuisse. Similia mala deprehen-  
duntur in inquinibus, natibus, regione re-  
num, vesicae urinariae, in abdomen,  
brachiis &c.

Praegressis in puerpera refrigerio in-  
caute admisso, animi pathemate, errori-  
bus in diæta &c. aincipit frigus, vel hor-  
ror irregularis, aut totum concutiens  
corpus, nausea, aliquando vomitus,  
lingua saepe impura, sitis, dejectio ani-  
mi, et debilitas aut torpor artuum, tan-  
dem tumor formari incipit, quo com-  
parente minuantur symptomata pro tem-  
pore, iterum redeunt et quidem vehe-  
mentius

mentius accedente simul dolore sensim aucto, gravitate in pelvi, debilitate in uno aut utroque femore absque tamen ulla inflammatione aut rubore, sed cum tumor, febre, pulsu tenso, urina initio spastica, tum turbida, alvo nulla, cute sicca, et dolore capitis. Tumor saepius alterutrum pelvis latus raro utrumque occupat; si resolvi incipit ad artus inferiores descendit ordine superius a me descripto: Ast si detumescente femore nec sudor, nec urina, nec alvus copiosius prodierint, metastasis locum solummodo mutat alias partes occupatura; è quibus si non resorbeatur proserpit ad novas organismi partes, vel eodem ordine quo incepit, ac iisdem cum turbis iterum revertitur. Tuiores hi vicarii aliquando pertinaces, et quo propiores capiti, thoraci, abdomini eo periculosiores. Aberrant aliquando in *Morbos nervosos chronicos, indurations, aut in ulcera maligna, abscessus funestissimos, fistulas, gangrenam et Mortem.*

Qua-

gius *Chomel* in fœmina primipara ita pri-  
mis puerperii diebus intumuisse ventrem  
observavit ut aequa turgeret ac ultimo  
graviditatis tempore. Rupto sponte  
umbillico exivit ingens copia liquidi sero-  
so lactei sed pessimi odoris: bimestri  
spatio post ruptum umbillicum prudenti  
cura evasit integre sanata. Credidit *Ce-  
lebris* hic *Vir* intra duplicaturam perito-  
nei illam secretionem lactis vicariam  
factam fuisse. Similia mala deprehen-  
duntur in inquinibus, natibus, regione re-  
num, vesicae urinariae, in abdomen,  
brachiis &c.

Praegressis in puerpera refrigerio in-  
caute admisso, animi pathemate, errori-  
bus in diæta &c. incipit frigus, vel hor-  
ror irregularis, aut totum concutiens  
corpus, nausea, aliquando vomitus,  
lingua sœpe impura, sitis, dejectio ani-  
mi, et debilitas aut torpor artuum, tan-  
dem tumor formari incipit, quo com-  
parente minuuntur symptomata pro tem-  
pore, iterum redeunt et quidem vehe-  
mentius

mentis accedente simul dolore sensim aucto, gravitate in pelvi, debilitate in uno aut utroque femore absque tamen ulla inflammatione aut rubore, sed cum tumore, febre, pulsu tenso, urina initio spastica, tum turbida, alvo nulla, cute sicca, et dolore capitis. Tumor saepius alterutrum pelvis latus raro utrumque occupat; si resolvi incipit ad artus inferiores descendit ordine superius a me descripto: Ast si detumescente femore nec sudor, nec urina, nec alvus copiosius prodierint, metastasis locum solummodo mutat alias partes occupatura; e quibus si non resorbeatur proserpit ad novas organismi partes, vel eodem ordine quo incepit, ac iisdem cum turbis iterum revertitur. Tumores hi vicarii aliquando pertinaces, et quo propiores capiti, thoraci, abdomini eo periculosiores. Abent aliquando in *Morbos nervosos chronices, indurationes*, aut in *ulcera maligna, abscessus funestissimos, fistulas, gangrenam et Mortem.*

Qua-

Quales vero mutationes in his morbis nervosis occurunt cultro anatomico difficile est demonstrare. Mala tamen inde exorta, specificum characterem opinionem mea possident, quo ab aliis morbis hoc in casu distinguuntur, practicis Medicis valde proficuum; si nempe phœnomena mali non sint tam gravia ut appropinquantem mortem annuntiarent, aut irreparabilem mutationem systematis nervosi demonstrarent, tunc magna cum probabilitate expectare possumus morbum elapsis aliquot hebdomadis vel mensibus per se nullis adhibitis medicamentis, aequæ ac omnes aliae secretiones vicariae puerperii sensim sensimque dissipari solent, cessaturum.

Sæpe iam primo altero aut tertio a partu die horrore aut rigore praegresso, cum abdomine molli, pulsu magno, celeri, aut contracto, cute sicca haud urente, urina et alvo normalibus, mammis collapsis, succedit subdelirium, vocifera-  
tio multa, imagines spectrorum in somno

ac vigiliis obversantes animo, facilitas in motus animi violentos, oculi nunc torvi scintillantes, nunc rigidi, atque linquæ insolita volubilitas; quandoque quasi ab ictu subito inflicto de dolore capitis conqueruntur miserae. His succedunt somnolentia profunda, stertor, risus Sardoniæ, subsultus tendinum, convulsiones, *Apoplexiae sic dictæ lacteæ signa indubitata.* Sunt in quibus febre lactea ad finem vergente praeter subdelirium et falsorum imaginum menti observantium spectra præsertim palpebris occlusis, lochiis bene fluentibus, nihil peccet, ast accendentibus volubilitate linguae, detumescentia subita mammarum, ac febre cessante, phœnomena sic dictæ *Maniæ lacteæ* in conspectum veniunt: quae ab initio difficile distinguuntur ab *Hysteria* quippe, omnes morositates et aversationes absurdæ a quibus incipit, facile tribuuntur *Hysteriae* cui pueræ propter summam irritabilitatem ac sensilitatem obnoxiae esse solent.

Innu-

Innumera alia atque alia specialissima mala a vicaria *secretione morbosa lactis* provenientia enumerare velle, limites Dissertationis vetant. Quapropter quibus auxiliis *Metastasis lactea* futura averti et praesens debellari queat, demonstrare aggredior.

Præcipua itaque medentis, ac felicior certe cura, in avertenda a puerperis tam dira aegritudine consistet: atque sub ipsa iam graviditate, perque totum puerperii tempus haec continuetur oportet. Hinc in prudenti tum corporis, tum ipsius mentis regimine, in causarum hujus morbi superius enumeratarum aversione, in summa atmospherae puritate, in frigoris, caloris, recto moderamine, in promovendo blandissimis auxiliis, nec præcipitando exclusionis, tum ipsius foetus, tum secundinarum opere, atque *secretionum* in primis lacteac, uterinae, et cutaneae ad naturae nutum directione potissimum curae prophylacticae versatur argumentum.

In

In praesentis vero morbi tractatione,  
sequentibus indicationibus satisfacere ar-  
tifex conetur:

*imo* Salus puerperae in minuenda aut  
tollenda dispositione morbosa ad tam co-  
piosas, abuornes ac specificas secretio-  
nes organismi et revocanda ad main-  
mas consueta, consistere videtur.

*edo* Prohibendum est, ne formatae jam  
metastases vicariae lactis cito aperian-  
tur, quod experientia felix confirmare  
videtur. In ipso igitur morbi principio  
interest, mox primis horroribus ac ri-  
gori occurtere; quod tuum infusis the-  
atis tepidiusculis, tum extremitatum fri-  
gentium fotu, praestare licebit. Quodsi  
vero causae praecesserint, evidenter irri-  
tantes; si plethorica et robusta sit puer-  
pera, si mammae detumescerent, si pul-  
sus pleni ac vibrantes extiterint, si an-  
nus febrium character inflammationi-  
*bus* faventem naturam monstraverit &c.  
tunc *venæsectio* instituenda ac si opus  
esset repetenda, ac methodus *antiphle-*  
*gisti-*

*gistica* ordinanda, semper tamen cum certo ad puerperæ statum habitu respectu: purgantia sint ex *Calomelane*, aut ex *eccoproticis*, ac in vasa lymphatica simul agentibus medicamentis; suctio frequens mammarum *syphonibus* seu vitris huic scopo destinatis, fatus tepidus mammarum, vapores calidi genitalibus applicentur, diæta sit stricta, potus aquosi copiosi, cum succis pomi aurantii aut citri tepidi, aut si aegra omnino exoptaret etiam frigidæ, haec sunt remedia summe agentia, quae Medicus in manibus habet. Si his accederent adhuc signa copiosos in diæta errores vel prægnationis sub tempore, vel in ipso puerperio prægressos demonstrantia, et dispositio individualis ac annua morbo inflammatorio non faveret, tunc omissis venæsectionibus alvum blande subducentia remedia et reliqua prius enarrata, auxilia adhibenda erunt. Si vero mox cum insigni eaque non modo apparente sed vera debilitate morbus sensiliorem præceteris, vel pathematis

matibus animi deprimentibus vexatam aggrediatur mulierem; si pulsus exiles, et contracti, si lipothymiae frequentes, urinae crudæ, aquosæ, convulsiones ac spasmi copiose obseruentur, tunc certe venæsectiones nunquam, evacuantia vero non nisi in certioris complicationis gastricae casu indicata erunt. Quare in omnibus his casibus ratio febris, complicationis mali, constitutionis individualis, causarum praegressarum, ipsius puerperii, atque secretionis vicariae, nec non lochiorum habenda: denique alvus, urina, et perspiratio omnimodo ad motam naturae sollicitanda.

Quo ad *metastasin lacteam* efformatam haec *resolventibus* tentetur necesse est, maxima enim spes est futurae absorptionis; Viri in arte praestantissimi multa exempla resolutarum depositionum lactearum memoriæ tradiderunt: Praecipue quum nihil e neglecta apertura amittimus. Si enim materia est corrupta tunc nulla spes erit absorptionis. Aperta

perita tali *Metastasi*, locus ille *metastases* cessat amplius esse qua locus *vicariae secretionis lactis*, atque facilime illa *vicaria secretio morbosa lactis* ad alia organa nobiliora ruit, vel inceptam ibidem *vicariam* efficaciam summopere auget, variaque pessima mala progenerat. Quousque enim spes adhuc adest resolutionis, fermentationes ex *sale ammoniaco* cum *acetato* confectae, ac pro renata *resolventia* alia quoque cum *emollientibus*, cum *vino alcoholē* diluto; *sale ammoniaco*, *sapone veneto*, et similia adplicantur, quoque *frictiones siccae* instituendae, si vero nec resolutio nec absorbtio perfici ulla arte poterit, natura eligit sibi optimam; tertamque viam.

Dantur tamen casus licet rariores *fi-*  
*stularum lactearum* et *sinuositatum* a ne-  
*glecta apertura* provenientium; funestissi-  
*marum*; hinc circumspectos ac maxime  
*cautos* esse oportet Medicos, ne vel  
*properando* vel cunctando noceant. Exi-  
*gui* vero tales tumores vicarii, diæta te-  
*nui,*

nui, multo potu, promota transpiratio-  
ne, ac urinae primo crassæ dein cuius  
sedimento puriformi copioso proventu,  
profligantur. Cæterum, oriri a lacte sup-  
presso morbos qui ad omnia consueta  
remedia rebelles, sola nova graviditate  
percurentur. Ita *Apoplexiām*, *paralisiām*  
*brachii*, *linguae*, *hemiplegiam* multaque  
alia mala omnes artis conatus elusisse  
novæque tantum graviditati cessisse. Ast  
non morbos solum lacteos, sed et ali-  
unde ortos hoc modo sublatos legimus.  
*Glandulas colli induratas mercurialibus*,  
*cicutā aliisque resolventibus incassum*  
*tentatis*, medio graviditatis tempore, ac-  
cedente, sponte disparuisse felici sequen-  
ti partu memoriae traditum est, quod ē  
summa illa lege cui adstrictæ sunt *meta-*  
*stases*, quamque superius adduxi, clarissi-  
me explicari potest. Denique proprias  
experiencias licet exiguae huc adducere  
placeat.

*Historia Maniae a Metastasi lactea in  
primipara puerpera exortæ, et a me feliciter  
tractatae brevibus adumbrata demon-  
strabit.*

Nobilis foemina novemdecim annorum, à natura optime formata, fleici matrimonio ab anno juncta, morbis infantilibus superatis, optima semper fruebatur valetudine; tempore vero graviditatis solummodo de alvo obstructa, et gravitate corporis, atque aliquando turbato somno conquerebatur, quae incommoda *clysmate emolliente injecto* [aut *eccoprotico saline*] assumpto facile dissipabantur, octavo mense mammae turgidae lac copiose fundere cœperunt ac in interrupte ad partum filioli usque gravem quidem, sed faustissime absolutum fundebant. Præsentibus attamen conatibus partus et hoc finito, refrigerio incaute, ac ira excedens tertio die, praeter insomnia omnibus ex voto procedentibus, horrore

ma-

magno totum corpus duodecem per horas concutiente corripitur, succedit calor, concidunt mammae, lactis proventus exiguius, animi singularis inquietudo, irritabilitas, moestitia, insomnia continuant, debet appetitus, fluxu lochiorum perstante, accersitur chirurgus: Hic omnia mala puerperae ab insomniis unice deducens, *narcoticum* quod secum attulerat, ei summendum praebet, aegra hoc assumpto nullo somno fruitur quem avidissime exoptat, de dolore capit is et sensu aurae alicujus per spinam dorsi ascendentis, caputque petentis conqueritur, alteram dorsim opati præbet chirurgus, somnolentia aliqua accedit, sed vix clausis palpebris a spectris sibi obvenientibus perterrita exclamat, iterumque cupidissima somni per duas dormit horas, expergefacta dolorem gravativum capit ac obnubilationem oculorum accusat, moxque inconcinna loquitur, in cachinos risus, cantusque effrenes ruit, ac iterum quasi attonica jacet. Hac rerum facie terrefacti

parentes ac consanguinei, Medicos quos peritissimos esse arbitrantur advocant. Datis *purgantibus* medicamentis ac *clysmatibus* aliquot injectis sopiuntur aliquomodo ad tempus turbae, sed penitus haud cessant. Continuantur medicamenta per aliquot dies malo inducias aliquas concedente, pulsus febrilis plenus ac durus tangitur, dolor capitis ac alia plenitudinis ad Encephalon signa urgent, garrulitas linguae continuat. *Antiphlogistica methodus* commendatur, sed consanguinei *venesectionem* reiciunt, solis *purgantibus* ac *emeticis* permisis. Ab *emetico* porrectibile ac pituita rejectis, longissimae sunt induciæ morbi; ast iterum recrudescunt omnia. Reduces Medici me ad continuandam methodum medendi eandemque circumstantiis adaptandam omni consilio munitum mitiunt, ac parentibus miserae commendant. Decima morbi die ad aegram accedens, eandem quidem liberam a febre inveni, sed mentis alienatio furibunda erat, ac fere permanens cum arrogantia et audacia

dacia juncta, viribus corporis taurinis, dolor capitis ac sussurus aurium perstabat, oculi inpatientes lucis, pupilla iam contracta iam dilatata oculis etiam luci obversis; lingua humida mucco albo tenaci obtecta, rubor genarum, sitis nunc magna saepe nulla, respiratio haud impedita, mammae erant flaccidae, paucissimum lac continentis, nullus dolor pectoris ac abdominis, alvus *clystere* mota dura foetida, urina vini albi colorem referens, turbida, sedimentum paucum mucosum album deponens, lochiis tamen fluentibus; cutis sicca subflava, motus et jactatio corporis in lecto continua, praecipue capitis ad utramque partem voluntio ac revolutio, cum peculiari et voluntaria musculorum faciei ac oris commotione; vociferabatur continuo ac inconcinna loquebatur, sine ulla notitia aut attentione ad monitiones ab adstantibus ipsi factas; parentes quos prius summe amabat et venerabatur, aequae ac consanguineos, nunc odio habebat ac abhorre-

bat, imo nonnunquam servas calumniis ac pugnis excipiebat; Se pro Regina, Imperatricce, *DEI* filia, ac ipso *DEO* declarabat, judicium erroneum forebat, de futuris vaticinabatur. Ita per plures horas sub continua garrulitate ac volubilitate linguae indefessa in furiis agebatur, ac immanni muscularum robore gaudens difficultime coercenda, ad praeces solius mariti brevissimo quiescens tempore. Quibus omnibus salacitatis quoque accedebant symptomata, ac innumera alia insaniae signa sibi succedebant. Consanguinei ac mater *Trychoma* hic subesse arbitrabantur, et a multis retro diebus arte complicabantur capilli, ex vino cum *vinca per vinca* decocto, uti moris hic est conspergebantur, nullo tamen cum levamine aut pejoratione ab ægra iterum explicandi.

Consideratis causis praegressis superius expositis, ac eo quod aegra juvenis, succiplena, ac nullis morbis exhausta ubera materna pusioni negaverit proprio

prio, turgidissima lacte ante partum et statim a partu, nunc vero fere vacua. Dein contraindicati *narcotici* ab imprudente Chirurgo porrecti infelices haustus, praecipue cum et primae viae sordibus in graviditate adhuc, ob vitam sedentariam ac lautam collectis, scaterent: Denique perpensis omnibus praesentibus signis: Malum *Maniam sic dictam lacteam* cum *gastrico apparatu, ac plethorico statu* complicatam adesse declaravi.

Licet vero *Prognosis* in universum *Maniae* maximis praematur difficultatibus, spem tamen sanationis non inanem ex recenti malo, corpore juvenili, robusto, antiphlogistica methodo aliquomodo proficia, denique ex absentia signorum inflammationem visceris alicujus probantium, me concepisse fateor.

*Curam* hujus mali, indicationibus ac regulis superius in *Dissertatione* exaratis innixus aggressus sum: eandemque circumstantiis individui, temporis puerperii, ac morbi accomodare studui. Quare methodum

dum antiphlogisticam leviorēm: 11<sup>a</sup> *morbī die* arripui, ac in hac perseverans per sex dies multum quidem levaminis longioribus lucidis intervallis in conspectum venientibus miseræ attuli, quum vero dolor capitis, rubor genarum, ac pulsatio carotidum externarum haud minuerentur, salacitatis quoque, pulsus, ac virium ratio eadem persisteret, continuando in medicamentis alvum ducentibus *die 16<sup>a</sup> morbi, hirudines No XII ad tempora et alas nasi* adiplicari summa cum difficultate curavi, vix enim quinque viri robusti aegram retinere poterant. Sufficiente quantitate sanguinis extracta, dolor capitis, ac alia symptomata remisere, intervalla lucida longiora, pulsus idem alvus omni fere die ter aut quater scibalosa ac copiosa deposita, ventre tamen uti antea molli ac exiguo. *Die 17<sup>a</sup> m.* quum nullum medicamentum summere voluisset, in juseulis ac potu *Tartari emetici granā* duo partitimi soluta præbebantur, ac *pediluvia* bis de die ordinata, ad vesperas

ras eadem die bis vomuit pituitosa tenacia bile tincta, ac alvum semel depositum duram.

Sequente die purgans ex Manna, salse Seignetti, cremore tartari, cum tartari emetici pauca quantitate porrexi, elapsis decem horis ter alvum depositum, salacitas imminuebatur, menstrua comparuerunt pauca; vaporess tepidi ad genitalia dein fomentationes emollientes applicabantur nulla amplius menstrua fluunt, clyisma solvens, digestiva omni 4<sup>a</sup> hora exhibentur, bis alvus succedit.—

*Die 20<sup>a</sup> m.* Quum signa omnia plenitudinis sanguineæ adessent, robur quoque, pulsus idem. *Venesectio ad Unc: VIII ex brachio instituitur, vespere eadem dosis sanguinis ex eadem detrahitur vena, pulsus minus fortes ac vibrantes, omnia pacatoria, alvus clystere mota.* —

*Die 21<sup>a</sup> m.* Nox quieta, salacitas fere evanuit, pulsus minus fortis ac plenus, eruptio ad cutem pustularum *Pemphigo simili-*

similium, materiem quādam albam continentum. Longe quietior hodie est, parum loquitur et magis delectatur somno.— Ad sustentandam eruptionem *Diapnoicum lenissimum* summere jussi. *Die 22<sup>a</sup> m.* Sat bene dormivit, pulsu tamen insurgente, iterum ipsanire cœpit; alvus nulla, pustulae *Pemphigo* similes exsiccantur. *Die* *hac* *videns* canalem intestinalem torpidum minusque irritabi em, medicamenta *drastica purgantia* cum Calomelane sat magna dosi praescripsi, ad excitandas magis has vias vasaque lymphatica, diœta semper stricta vegetabili magis continuata. Elapsis duodecim ab assumpto medicamine horis, alvus sexies foetida pultacea, bile tincta deposi a fuit; pulsus aequalis plenus; vires sufficientes, lucida intervalla longiora, oculi minus vivaces ac splendentes; nullus capitis dolor. Cutis molior humida; appetitus bonus, urina majori in quantitate sedimentum a'bum copiosum depo-nens. *Die 23<sup>a</sup> m.* Sine medicamento.

*Die 24<sup>a</sup> m. Eccoproticum purgans fortius*

*tius; elapsis novem horis alvum sterco-*  
*raceam bruneam fœtidissimam depositum,*  
*reliqua cadem. Sex per dies omni tertia*  
*die alternatim purgans drasticum ex Re-*  
*sina Jalappae, Calomelane &c. vel pur-*  
*gans Eccoproticum porrigebam, subsequen-*  
*tibus cum euphoria dejectionibus fœtidis*  
*pultaceis ac pituitosis, intervallis lucidis*  
*longioribus, vires perstabant, pulsusque,*  
*noctes omnes erant tranquilliores.*

*Die 31<sup>a</sup> m. Bene dormivit, hilario-*  
*ris est mentis, pulsus plenus ac sat for-*  
*tis; sine medicina, alvus clysmate mota.*  
*Subsequentibus sex diebus in eodem*  
*fere statu omnia; alvus sine clysmate aut*  
*purgante nulla, vires haud debilitæ; o-*  
*mni tertia die semel, drasticum purgans*  
*cum Calomelane, altera vice Eccoproticum*  
*propinabatur, eodem fere ac antea cum*  
*effectu. Insaniebat tamen, licet rarius.*

*Die 38<sup>a</sup> m. De nausea vomititione*  
*conqueritur, lingua adest spurca, cepha-*  
*lea cum pulsu fortiori pleno sat frequenti,*  
alvus

alvus nulla, hinc *Eccoproticum* cum *tartari emetici grano uno*; elapsis tribus horis vomebatur ter copiosa, bis vero alvus movebatur: has post dejectiones quietior ac tranquilla non insaniebat, optime dormivit.

*Die 39<sup>a</sup> m.* Sine medicamine alvus *clysmati* obediens. *Balneum tepidum* totius corporis exoptatum conceditur; primis momentis optime cedit, sed tardius rubor faciei cum carotidum pulsatione, exaltatur mens et confunditur, in iras rapitur, deponitur ad lectum, insanit, ast *clysmate* injecto cui tria grana *Tartari emetici* addebantur, bis alvo deposita noctem quiete transegit. Altera die nulla medicina; *clysmæ* ut die hesterna injectum.

*Die 41<sup>a</sup> m.* Iterum parumper aegra exaltatae est mentis. *Purgans drasticum* et *clysmæ* hesterum. Sequente die iterum congestionis signa gravia ad Encephalon, fors effectus literarum quas parentibus scri-

scripsit. *Hirudines* № XX *caudis resectis* ad tempora, alas nasi, et collum adplicantur, quibus succedunt *cucurbitulae* № X. Sanguinis magna copia hac arte extracta est. Aegra nullam debilitatem abinde accusat. Diebus quatuor sequentibus quum morbus in eodem statu continuaret parumper hirudinibus mitigatus, virtutes *Digitalis purpureae* experiri volui, eandemque alternatim cum *purgante drastico* porrigebam, *clysmatibus* ad noctem haud neglectis. Enimvero pulsu duro, pleno, carotidum pulsatione ac congesione ad caput, iterum a duabus diebus sine cognita ulla causa perstantibus; *Venesectionem ad Uncias V<sup>III</sup>* die 47 m. ex pede instituere ac ad vesperas *similem quantitatem* ex brachio detrahere coactus fueram. Sudores accedebant totius corporis vaporosi, cum pulsu undoso, frequentiori, ac debiliori; deposita ad lectum aegra per aliquot horas, somno indulgens quievit. Sequentे die dum ambularet vertiginem levem ac palpitationem cordis

cordis experta, symptomata nimirae fors  
evacuationis sanguineae aut ab usu digitale  
lis provenientia. Quare diætam aliquo-  
modo magis nutrientem concessi, digitale  
lem reieci, quietemque lecti commendavi.  
Nulla signa insaniae, die 49<sup>a</sup> m. animo  
præsens, viribusque integra, iter curru  
trium milliarium ad Parentes invisendos  
instituit: h/c per quatuor dies lautiore  
diæta utens, cum præsentia ac hilaritate  
animi dum commoraretur, ad vesperas  
tertiæ diei insanire aliquomodo cœpit:  
*Purgans drasticum ac clyisma* præbebantur:  
sex horis elapsis alvum stercoraceam fœ-  
tidissimam minus bile tinctam cum sum-  
mo levamine dejecit. Altera vero die  
*infusum Rhei* cum *sale Seignetti* sumpsit  
et alvum bis depositus; nulla mentis exal-  
tatio, nox quietissima.

*Die 53<sup>a</sup> m.* Absque omni medicina;  
hilaris ac animo præsens, appetitus viget,  
alvus bis mota sine clysmate minus ta-  
men bile tincta. Quum tempestas faveret  
ad civitatem trium milliarium distantem  
adve-

advenit. Streptitus, hominum' multitudo, eandem inquietam reddelant, pulsus iterum frequens, plenus, et sat fortis, congestio humorum ad Encephalon. Alvus *clystere* movebatur; noctem tamen insomnem transegit. *Die 55<sup>a</sup> m.* omnibus hesternis symptomatibus persistentibus medicamentum *purgans drasticum* ex Resina Jalappae Aloé lucida et Calomelane minori ut solebat in quantitate porrectum sumpsit; alvum sexies stercoraceam foetidam pituitosam cum levamine depositum. Noctu bene dormivit.

*Die 56<sup>a</sup> et 57<sup>a</sup> m.* Omnia bene procedunt, praesentis est animi, in horto publico deambulat, ad noctem *balneum* sumit ex aqua tepida; nox quieta; *Clyisma emolliens* datum. *Die 58<sup>a</sup> m.* Licet optime dormivisset, inquieta, occupata, inconcinna aliqua loquitur. *Purgans consuetum* praebetur. Sequenti die bene vallet, colloquitur cum amicis, atque deambulat. *Die 60<sup>a</sup> morbi mane,* parumper mentis est alienatio, irascitur sine ulla ratio-

ratione. *Purgans drasticum levissimum* exhibetur, mox alvus deponitur quadries fœtidæ, pultacea, pituitosa, ac bile sufficienter tiucta. Diebus quatuor subsequentibus in civitate adhuc commoratur. Sine ulla medicina est, præsens animo, reliqua uti sani hominis conspiciuntur. Abscedenti injunctum erat, ut si quid morbosí rediret, ex purgante drasticō parvā in quantitate summeret, curaretque ut alvus aperta servaretur, secretionum ac excretionum rationem summam haberet, animi pathemata vitaret. Ab hoc tempore elapso iam anno vivit in sinu familie, mentis corporisque sanitate illæsa felicissima.

*E p i c r i s s .*

---

**E**n maniam sic dictam lacteam morbum gravissimum, ab animi pathemate, refregerio, ac imprudentissimo usu narcotici tertia a puerperio die exortam. Si enim nulla saburrarum ac plethorae indicia adsuissent, Opium propinatum pericula nulla

nulla produxisset; imo exempla plura ab usu opii sat largo, maniacos sanitati restitutos fuisse adnotata legimus. Casus fortuitus in virgine ab animi pathemate maniaca facta id quoque probare videatur: haec unguentum continens *scrupulum Opii* in aceto soluti, quod temporibus inungendis destinatum fuerat, dum devo-raverat, subito convaluit; Similia haud pauca exempla apud *Joh. Jac. Wepferum* et in *Act. Erud. Anni 1761.* atque apud plures antiquos, ac recentiores videre licet.

Sub statu vero in quo aegra versabatur dum accersitus fueram, fors venae-sectiones copiosissimae et ad lypothimias usque institutae, quas similibus in circumstantiis medici *Galli* et *Angli* suadent, citius morbum solvissent; ast non oblitus praceptorum a summis practicis traditorum cavebam, ne subitis ac validis evacuationibus omnes prosternerentur vires, malumque haud curatu possibile inde reddatur, quales casus saepius

in

in Nosodochiis occurunt. Tunc enim sœvus ille furor tollitur quidem, sed succedit maniae impotentia quasi sensorii communis, et tota vita manet immmediabilis *stultitia*; sicque *hebetes* omnium rerum immemores, *innocuorum infantum* instar nugantur perpetuo, et in misero hoc statu quandoque senescunt.

*Cura* hujus Morbi facile haud fuit negotium, si Encephali vicarie affecti, complicationis ac intensitatis mali, nec non perversae methodi medendi ab imprudente chirурgo inceptae, atque circumstantiarum gravissimarum rationem spectemus. Quanta vero venæsectionis sæpius repetitæ, hirudinumque in sanguendo impetu morbi fuerit virtus, facile videre est. Quid quid autem morbi post sanguinis depletiones supererat, purgantia totum per decursum morbi larga manu exhibita penitus abstulere. Quae omnia *Diagnosin* a me institutam confirmare videntur. Jam autem si ingentem quantitatem excrementorum foetidissimorum duran-

durante morbo eliminatorum considerem, simulque exiguum ac facile tractabile me semper tetigisse abdomen aegrae perpendam; concipere satis haud possum, quomodo nam ingens haec sordium copia in tam exiguo abdomine latere potuerit. Gravissimum autem excrementorum fœtorem potius a Calomelanis peculiari cum sordibus intestinalibus chemico con-nubio, quam a corruptione ac putredine provenire arbitror. Dignissimum quoque attentione phœnomenon toto in decursu morbi in conspectum veniens est, torpor nempe canalis intestinalis ac minima irritabilitas ejusdem: medicamenta quippe *drastica triplo majori dosi* quam praescribi solent exhibita, primo 14 ab assumpto pharmaco elapsis horis, vix aliquot sedes alvinas provocare potuerant; morbo vero decrescente irritabilitas intestinorum et virtus medicamenti in ratione eadem crescebat. An imponderabilium inaequalis per organismum distributio et in Encephalo accumulatio? ut

aliqui volunt, cui tamen effectus balneorum adhibitorum contrariari videtur. An vero a vicaria lactis secretione ad cerebrum facta, ejusdem visceris nobilissimi praessio, aut mutatio quaedam subsecuta sensuum internorum exaltatione, ac immanni corporis robore provocatis, viscerum abdominalium minimae ac fere deictae irritabilitatis sint causa? cuius tamen phœnomeni in omni fere speciae maniae frequentissima exempla ab experientia comprobari videntur, quam quadruplicata quantitas *Tartari emetici* exhibita vix unius dosis edat virtutem. An denique post unius anni a morbo devicto efflum licet regularibus catameniis, ac aliis sani hominis functionibus praedita sit, torpor uteri et inefficacia, exaltationis ejusdem visceris morbi sub decursu observatae, nullius hucusque novae graviditatis subsecutae sit effectus, nec ne? discernere non audeo.—

---

*Auctores præcipui huc spectantes sunt:*

*Autenrieth* Versuche, für die practische Heilkunde I. B. 1807. *Berendt*. Nth. Diss. de de-  
pos. lact. Lps. 1780. *Boer* abhandl. Vienn. 1791—  
1806.— *Bichat* Phisiolog. *Brandis* Jo. Dt. de Me-  
tast. Dissert. 1798. Hannov. *Burserius*, Jo. bapt.  
de f. puerp. et lact. 1797. *Chiaruggi*. Diss. de  
Mania. Lps. 1795. *Clarke* J. 1792. *Consbruch*.  
de febr. lactea 1800. *Curtius* Reg. Polon: arch.  
V. VIII. degli Avvisi sopra la Salute umana.  
*Le Cat.* L'art des accouch. *Chomel* Acad. des  
science l'an 1746. *Comm.* Lipsiens. Vol. XXII.  
*Darwin*. Zoonom. 1798. *Doltoeus* Oper. et Epist.  
*Eph.* n. cur. DI. *Duncan* Philos. trans. Vol.  
LI. *David*. obs. puerp. *Cullenius* de feb. lact.  
*Fourtroy*. Med. eclairee T. II. *Detenue* Obs.  
med. *Fortis* Jo. *Ray*. de morb. mulier. *Fauv*. arq.  
Gerch. Diss. de Metast. *Fontana*. de Act. ven,  
1781. *Gazette* salutaire 1780. *Fischer*. chr. Ern.  
Diss de Supp. 1793. *Gastellier* Paris 1778. *Grant*  
de morb. chron. *Geoffroius* Op. Reg. Soc.  
med. Paris Vol. II. *Hofmannus* Frid. de f.  
lac. et puerp. *Hunterus*. Jo. Diss. for the appro-  
vein. etc, Lond. 1793. *Hufeland*. med. prac. u  
Pathogen. *Heister* Wahrnehm. B. L. *Haller*. alb.  
Anim. pract. van der *Havir*. Jac. Obs. prac. de  
*Haen*. Rat. med. *Horn*. E. archiv. 1807.—1809.

von Hoven. de med. pract. 1805.—1810. *Hulm.*  
 nth. Diss. de febr. puerp.—*Hippocrates*. Lib. I. et  
 III. epid. Octo. aegrar. Isaac Joseph. Diss. de  
 Metast. lact. Kite. Carol. obs. med. Lond. 1795.  
*Lorry*. de mut. morb. Par. 1764. *Lentin* Miscell.  
 med. 789. *Metzler*. de accu. 1787. de la Mettrie.  
 Oeuvres. *Levret* op. med. *Leacke* J. obs. pract.  
 puerp. 1772. *de Meza*. Theoph. comp. de febr.  
 Cap. XXIV. *Meckelius* in nov. exper. et Obs.  
 Berl. 1772. *Kirkland* Th. de febr. puerper.  
*Michielis* de febr. puerp. 1804. de la Motte. l'art.  
 des accouch. *Neureuter* Diss. de Metast. *Osiander*.  
 Denkwürdigkeiten I. B. *Percival*. act. med. Lond.  
 1789. *Philosoph. trans. soc. Reg.* Lond. 1796.  
*Pabst*. Id. feb. puerp. 1801. Peu pratique des  
 accouch. *Puzos* mem. sur les Depots laiteux.  
*Raulinius* Traite de morb. foem. *Le Roi* febr.  
 lact. malig. *Riverius* Prax. med. *Richa* Const.  
 puerp. Taur. de la Roche de morb. puerp. 1785.  
*Pechlinius* Obs. Lib. I *Plouquet*. T. V. *Richter*.  
 misc. med. chir. 1793. *Reit* Halae 1794. van  
 Swieten in Böérh. § 1329. *Selle* Med. Clin. 1786.  
*Stoll* Rat. med. II. *Strotherius* de feb. puerp.  
 Lond. 1718. *Schmidt Müller*. in Horns Archiv. VII.  
 B. Sachtieben. kritik. 1793. *Sprengel* Curt. Phisiol.  
 Frank. Jo. P. Epitom. *Sauvage* Nosol. meth.  
 —*Soemmering* de Morb. vas. absorb. 1795. *Auserles*.  
 Abh. f. pract. Aerzte. Vol. I. *Vogel* med. pract.  
 T. III. *Winiker* de febr. lact. et puerp. 1801.  
*Walsh* Obs. pract. 1787. *White* k. de tumor.  
 puerp. 1802. *Willis* de febr. Cap. XVI.

# Theses oppugnandæ

## I.

- \* *Telæ cellularis plurimas proprietates nascere, multum interest.—*

## II.

- \* *Congestio activa cum et sine inflammatione datur, inflammatio nunquam sine congestione.*

## III.

- \* *Puerperæ quæ ultimo graviditatis mense plerumque magnam copiam foecum colligunt, mature sale medio vel quoque miti eccoprotico evacuandæ sunt.—*

## IV.

- \* *Homo neonatus instinctu inspirat.*

## V.

- \* *Medicus unicum suæ artis objectum præcærteris, excolens, societati humanæ utilior.—*

## VI.

- \* *Optimum ac tutissimum remedium in occulto vel aperto cancro extirpatio est.*

---

\* ab Inclita Facultate auctori propositæ.

XXVII.

VII.

*Aquas Medicas per artem imitari, Chemicia docet.—*

VIII.

*Pharmacaz nonnulla immutata in secundas vias transeunt, succisque inquinatis immiscentur.—*

IX.

*Asphyxia ex gaze acido carbonico, non a sola respirationis interceptione.—*

X.

*Nullum datur remedium magis universale quam sal medius, hinc aquae frigido hydropico, quam inflammatio pleuritico convenit.—*

XI.

*Unguenti mercurialis praeparatio certae quantitatis oxiæ hydrargyri rubri additione, illaesæ unguenti natura promptissime perficitur.—*

XII.

*Methodus liquorem Mindereri conficeret*



ciendi in Dispensatoriis celebrata, non eandem semper virtutem medicam iisdem sub circumstantiis preparato tribuens; sale Miudere i sicco melius ac firmius substi-  
tui potest.—

### XIII.

Qui salem Absinthii medium, arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, salem polychrestum, salem de duobus, salem Gla-  
seri, simul præscribunt, non solum entia multiplioant sine necessitate, sed etiam si diversa se præscribere existimant, chemicorum principiorum produnt ignorantiam.—

### XIV.

Non datur medicamentum in sensu stri-  
cto, quod vires vitae per vigilias aut labores deperditas restauret, tumores resol-  
vat, vulnus consolidet, pus generet, ci-  
catricem, callum fabricet, menses, lochia  
provocet, partum promoveat, dolores par-  
tus excitet, lac ad mammas. alliciat, aut  
ab iis repellat etc. Opera hæc naturæ  
sunt, nec arte plus unquam proficitur,  
quam ut posita naturæ impedimenta a me-  
dio tollantur.—



## Errata Typi

---

- Pag. 15. ver. 12. ae *lege ac*  
— 19. — 10. peurperis — puerperis  
— 20. — 8. Mammar. — mammarum,  
— 20. — 21. percipiun. — percipiuntur  
— 21. — 16. solenit — solent.  
— 31. — 7. Jta apoplex: — Jta post  
Apoplexiā,  
— 31. — 18. adsriictæ — adstrictioe  
— 52. — 6. Fleici — felici.
-

BIBLIOTEKA  
AKADEMII MEDYCZNEJ  
W LUBLINIE

05341

